



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

Tit. XXIX. De Capitulis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

V. Tempore Paschali à Dominica in Octava Paschæ usque ad Sabbatum post Pentecosten inclusivè in fine Responsorij brevis ante primum Versum dicuntur duo *Alleluja*, quæ etiam post dictum primum Versum repetuntur pro parte Responsorij, & in fine secundi Versûs unum tantùm *Alleluja* tam in Officio de Tempore, quàm de Sanctis, ut dicitur in Rubrica, quæ est in Sabbato in Albis. Extra tempus Paschale, quamvis in aliquibus Festis ad Tertiam, Sextam, & Nonam Responsorijs brevibus addantur *Alleluja*, non ideo adduntur ad Primam & Completorium. o.

o. Uti in Festo Corporis Christi videre est, atque in Festo Inventionis S. Crucis.

## TITULUS XXIX.

### DE CAPITVLIS.

I. **C**apitula p. semper dicuntur (præterquam à Feria quinta in Cœna Domini usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusivè, & præterquam in Officio Defunctorum) ad Vesperas & Laudes, & alias Horas, dictis Psalmis & Antiphonis; ad Completorium verò dicto etiam Hymno.

p. Sic dicta, quia sunt ut plurimum in Festis ex Capitibus Epistolarum, quæ in Missa leguntur, desumpta.

II. Capitula Dominicalia posita in Psalterio in primis & secundis Vesperis in Laudibus & Horis, dicuntur à tertia Dominica post Pentecosten usque ad Adventum: & à secunda post Epiphaniam usque ad Septuagesimam. Capitula autem Ferialia dicuntur post Octavam Pentecostes usque ad Adventum, & ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam primam Quadragesimæ. Alijs temporibus dicuntur,

ut in

ut in Proprio de Tempore: si fit de Sanctis, ut in Proprio de Sanctis, cum propria adsunt; alioquin de Communi Sanctorum. Capitulum Primæ & Completorii (quando Capitula dicuntur) nunquam mutatur, ut in Psalterio.

III. In Dominicis ab Adventu usque ad Octavam Epiphaniæ, & à Septuagesima usque ad tertiam post Pentecosten, & in Ferijs temporis Paschalis, & in omnibus Festis regulariter Capitulum positum in primis Vesperis dicitur in Laudibus ad Tertiam, & in secundis Vesperis, quibusdam exceptis, quæ suis locis assignantur.

IV. In Ferijs tempore Paschali ad Primam dicitur Capitulum *Regi seculorum*, sicut in Dominicis & Festis: Post Capitulum semper respondetur *DEO gratias. q.*

¶ Non autem in fine dicitur: *Tu autem, Domine, miserere nobis*: quia nec *Iube Domine benedicere* præmittitur, quæ duo sunt correlativa, ut ait Gavantus hinc l. 5. c. 15. n. 7.

## TITULUS XXX.

### DE ORATIONE.

I. **O**ratio in Vesperis & Laudibus dicitur post Antiphonam ad *Magnificat*, & *Benedictus* immediate, nisi quando dicendæ sunt Preces, quæ dicuntur post Antiphonam, & in fine illarum Oratio. Ad primam & alias Horas Oratio dicitur post Responsorium breve, nisi dicendæ sint Preces, tunc enim Oratio dicitur post Preces. Ad Completorium dicitur Oratio post Antiphonam *Salva nos*, nisi dicendæ sint Preces, & tunc dicitur post illas.

II. Ad Primam & Completorium nunquam omittuntur Orationes, quæ habentur in Psalterio,